

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ Novembris.

M. FRANCISCO-FAUSTO ALLIOT, Doctore Medico, Præſide.

An Hyemali Peripneumoniæ venæ ſectio, ἡγεμονικόν?

I.

PULMO princeps organum operis ſanguinei, viſcus eſt rarum, molle, membranoſum, telæ inſtar ex mirâ vaſorum ſocietate contextum. Pars illa corporis, ut omnium penè primaria, ſic pluribus obnoxia morbis. Quid mirum? ſingulis partibus dum benefacit, malè affectarum penas luit. Nec ſatis eſt è meliore luto finxiſſe præcordia naturam, niſi accedat aliorum viſcerum integritas, quæ ad vitalis ſucci perfectionem junctis viribus conſpiret. Si vel unum officio ſuo malè fungitur, ſtatim moles ſanguinea vitium contrahit, tantò gravius, quantò major pars, quæ peccat. Atque utinam ſibi ſoli peccaret; ſed quidquid peccat plectitur inſons pulmo, quoties pro ſanguine puro ſordidum, pro cocto crudum, pro ſpirituoſo vappidum, pro fluxili viſcidum, pro tenui craſſum, pro ſubtili & actuoſo, fixum & inertem reponunt vilioris notæ viſcera. Ex hoc fonte plerumque profluunt ſpiratio difficilis, orthopnœia, obſtructio, & cujuſcumque indolis peripneumonia. Hybernam time, cum ſanguis craſſior aut tenax exiles pulmonum tubulos obſtruit & ſolemnem circuitûs motum interturbat. In tam gravi morbo, ſit tibi præcipuum id præſidii genus quod temperet, attenuet, vacuet humorem viſcidum, à quo pulmonum infarctus & inflammatio.

I I.

CALOR & frigus præcipua ſunt naturæ inſtrumenta. Horum ut motus varii, ſic effectus planè diverſi. Calor ſanguinem comminuit & rarefacit, frigus ſanguinem cogit & incraſſat. Par utriuſque neceſſitas. Sanguis æſtivo calore ſuprà modum evectus tenues evaneſceret in auras, ni modicum frigus avolantem detineat, effugientem coërceat. Hinc alternæ vices æſtatis, hyemiſque. Hæ lenem ac tranquillum moderantur ſanguinis motum, quandiu non excedunt. Quum excedunt, eundem pervertunt. Æſtas ignea bilem exacuit, unde ſanguinis æſtus, hyems gelida pituitam congerit, unde ſanguinis pigrities. Ex duplici hacce ſanguinis labe peripneumonia duplex, bilioſa & pituitoſa. Utraque eſt inflammatio pulmonum cum febre acutâ, dyſpnœiâ, tuſſi, anxietate, genarum rubore, aliiſque ſymptomatis, quorum ſyndrome morbi vehementia noſcitur. Bilioſa ſe prodit, quoties pars ſanguinis mobilior orgaſmo percita, pulmonum arctioribus vaſis contineri neſcia, eadem cum perrumpere nequit, ſaltem plurimùm expandit. Pituitoſam exſpecta; cum pituita lenta ad concreſcendum prona, minimos pulmonum ductus non ſatis expeditè percurrit, in iiſdem hæret, ſtagnat, ſanguinis tranſitum præpedit. Licet varia ſit utriuſque origo & natura; utramque tamen vix internoſcas; ſed internoſcere ad praxim quid attinet? Conſtat hybernæ parentem eſſe pituitam craſſiorem, morbi cauſam auferet, qui humorem illum incidet, in minima dividet, faciet mitiorem.

I I I.

FRIGUS immodicum cum aliis partibus, tum pectori maximè inimicum, ſanguinis circuitum prohibet, cutis meatus occludit, pulmones coarctat. Hinc oritur hyberna pulmonum inflammatio. Præpeditâ perſpiratione ſerum per poros difflari ſolitum, in ſanguinem refluit. Sanguis uberiore ſero turgidus, nimio preſſus frigore, patens & amplum arteriæ pulmonaris oſtium facilè ſubit; pars ejuſdem craſſior ex alveo in rivulos ægrè protruſa, in iis ſiſtitur, hinc obſtructio, inflammatio, ſpiratio difficilis. Pars ſeroſa in ipſis pulmonum interſtitiis colligitur, hinc tuſſis & catharrus. Accedit in ſui ipſius perniciem ipſe pulmo, qui ab incumbente aëre plus æquo conſtrictus, humorem parti jam infixum reciproco motu altiùs adigit. Accedit & in mali incrementum frigidior aër. Hic per trachææ bronchia ad veſiculas uſ-

que permeans ſanguinem, cui miſcetur, glutinoſum reddit, & infarctum ſic adauget. Hinc circà hyemis exitum & veris primordia concurſus ſymptomatum, quæ in æſtivâ pulmonum inflammatione citiùs, in hybernâ tardiùs emicant. Signum poſterioris pathognomonicum, febris initio parva, ſpirandi difficultas extrema & præfocans. Præceps eſt morbus & periculi plenus, promptum clamat & ſingulare remedium. Præſto eſt venæ ſectio. Aliud fruſtrà quæras, quod attenuet humorem craſſum, à quo hyberna pulmonum inflammatio.

I V.

VENÆ ſectio remedium eſt omnium longè præſtantiſſimum. Quo nulla impunè careat Medicorum ſecta. Infelix in medendo, qui illud parcè & rarò adhibet. Infelicior qui numquam, feliciſſimus, qui frequenter & opportunè. Cave tamen, nè plus ipſi tribuas quam recta ratio poſtulet. Errat qui omnibus utile prædicat morbis, deſipit qui nullis, ſapit qui pluribus. Ferè omnes ex vitio ſanguinis ortum repetunt, nullum ferè ſanguinis vitium non emendat, atque ut fervidioris æſtum temperat & furentis impetum retundit; ſic languentem recreat, torpenti vires addit, & perturbatis humoribus debitum reſtituens motum, dolores ex tenſione placat, fluxiones cohibet, cutis ſpiracula reſerat, obſtructiones ſolvit & omni medetur inflammationi. Quid ni & peripneumoniæ hybernæ? Morbum parit denſioris texturæ ſanguis, morbum tollet idem ſui juris factus & à craſſiorum partium vinculis ſolutus. Qui enim ex facili fluet, ſtagnantem in ſui motus leges coget, ſicque præcluſam ſanguini, ſeroque viam aperiet. Nec te à ſecandâ venâ deterreat ætas puerorum tenera aut ſenum provectior, non graviditas mulierum, non improviſus menſtruorum effluxus, non per nares aut hæmorrhoidas ſanguinis ſtillicidium, non infida & criſi prorſus impar ἐφίδρωσις. Quidquid tale evenerit, non ideo tibi ferrum è manibus excidat. Sola venæ ſectio pulmonem ab impendente præfocationis periculo liberare poteſt, ſola coagulari aptum humorem, tutò citòque poteſt à concretione tueri aut vindicare.

V.

CUJUSCUMQUE ergo ſit originis & naturæ peripneumonia, bilioſa vel pituitoſa, aſtatis vel hyemis ſoboles, à ſanguinis æſtu, vel à prolapſu catharri ad jugulum & mammam, vel extrà diaphragmatis fines ſeſe extendens; Procul omnis vini, ſter-

coris equi, muli, ſanguinis hircini, diaphoreticorum vel illuſtriorum uſus. Sus déque purgantium apparatus; hæc pernicioſa cum humores crudi ſunt, non fluxiles & concocti: tunc partes rigidæ, inflexiles nihil dimittunt, & inani pharmaci irritamento majus concipiunt incendium, vel cruda materies vehementius concita, hinc indè excurrit, viſcera torminibus diſcruciat, ventrem indurat, & in affectum pulmonem præceps ruit; unde ingraveſcunt ſymptomata, quorum ſævitie brevi jugulatur æger. Quid verò in acutis omnibus pertimeſcendam in peripneumoniâ hybernâ purgationem commendet? num quia revellit? Hîc ſola κενεαγγεία locum habet, ἀντίσπασις nullum. Ex ipſo fonte mali ſcaturiginem exhaurire datur, revellere non datur. Cum itaque non deferbuit ſanguis, & coctionis ſigna non eluceſcunt, ſit cane pejor & angue catharſis, ſit una inſtar omnium venæ ſectio, ſit inſtar omnis armaturæ ſcalpellus. Hoc uno vinci ſe patietur morbus, aliis exaſperabitur armis, & qui quandiù viget, omnem pharmaciæ pompam reſpuit, ſoli Chirurgiæ colla ſubmittet. Penès ſanguinem culpa, penès ſanguinem medela. Copioſum profunde & quantum morbi viriumque vigor exigent. Sola hæc medendi ratio tuta.

Ergò Hyemali Peripneumoniæ venæ ſectio, ἡγεμονικόν.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ioannes-Baptiſta-Renatus Moreau, Profeſſor Regius.
M. Franciſcus Afforty.
M. Nicolaus Rainſſant.
M. Nicolaus Pelletier, rei herbariæ Profeſſor.
M. Nicolaus de Ieuvanci.
M. Petrus Pourret, Vnici Fratris Regis Medicus ordinarius, & Scholarum Profeſſor.
M. Renatus le Comte.
M. Germanus Preaux.
M. Antonius de Caën.

Proponebat Pariſiis MICHAEL SAUVALLE, Ebroicus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.